ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Generose Domine

Intellexi perculsus animum et tristis ferme te graviusculi quod Harpocrati quod Pythagorae ingressus tantum non quinquennali excubiâ literarum. Si servum hominem orare finis causam, Domine, duas dabo, quae ut a pondere, fortasse leves, fortasse tibi se non probabunt, ita a praevaricatione, profecto verae, non poterunt improbari. Stat nimirum inde, et mole suâ stat mihi sublimisque semper nominis tui admiratio ac quidam quasi sacer horror fit quoties hanc dextram ad scribendum appuli appulique valide confidens, resiliverit resiliatque calamus, et fugiat usque audaciam suam proletarij styli febris heu mali conscia. Stat hinc et obversatur stupori nostro immensa vis et ingentior difficultas tuorum id est patriaeque patrisque negotiorum quibus perpetim vacas publico commodo, nec alius homo unus vel singulis vel omnibus par fuerit. Cogitabam inde, nihil tam magnificum ab manu meâ proficisci posse quod propitium te sibi merito spondeat lectorem. Hinc, si unquam intercipi otiolum tibi sinis, eam virorum pusillorum de studijs et communi Gratiâ, quicquid a me scribi posset, scriptitantium diligentiam, excubias, assiduitatem videri ut nihil necesse sit Brunonem Iliada post tres Homeros meditari, et stultum anserem interstrepere tot olores. Si moleste pateris molestos horulis tuis, molestius aliquanto laturum verebar quisquilias, gerras, apinas famuli Dominum, quam epistolas, sermonesque, et doctas Jupiter ac perelegantes delicias filiolorum Patrem. Ita verecundae venerabundus legem mihi ipse dixeram tacendi quo et otio tuo, Domine, et pudori meo consuleretur.

Horum vero causarum silentij, Domine, alteri fidem ~~scio~~ negabit modestia tua quamvis illa certissima et perpetua sit, et, si ἀΐδιος σιγῆς nolis, impromptitudinis certe cunctandique futura; alteri quia nulla esse potest si volueris, et nulla esse jam debet quia voluisti postquam assensum acquiescentis derogas, dum et totus et a me quoque postulas scribillari quae semel legi satis esse putaveram etiam ego nomen causae derogabo. Unque adeo id cogitare pergam deinceps (quantulus ego quanto?) sed illud αὐτὸς ἔφα. et erit fiducia fandi qui erat timor loquendi. atque adeo jam nunc in septimanas, si placebit, singulas aliquid litterularum expecta etiam

Hagaecom. IV. Id. Sextil. CIↃIↃCXLII

Generoso Domino
a Servo tuo
Henrico Brunone.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 47
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0555

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 47
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0555

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 47
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0555

Mijn Heere
Mijn Heer van Zuilichem etc.

Uit 't

Leger

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 47
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0555